

D. Fadrique, duc de Benavente, D. Pedro Tenorio, archevêque de Tolède, D. Martin Yañez de Barbudo et D. Diego Hurtado de Mendoza, promettent d'observer les alliances récemment renouvelées avec la France.

Simancas (?), 16 août 1391.

In nomine Domini, amen. Noverint universi presentes pariterque futuri, quod anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo, indictione decima quarta et die decima sexta mensis augusti, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et domini nostri domini Clementis divina Providencia Pape septimi anno tercio decimo, in revendissimi in Christo patris et domini domini Dominici miseracione divina Sancti Poncii Thomeriarum ad regna Castelle et Legionis Sedis apostolice nuncii, reverendique patris domini Johannis eadem gracia Columbriensis episcoporum, nobilibusque viris dominis Robineti de Braquemonte et Fernandi Alvari de Tholeto, militibus, testibus ad hec vocatis, meique notarii publici infrascripti presencia, personaliter constituti illustris princeps et dominus dominus Fredericus dux Beneventanus necnon reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Petrus simili miseracione archiepiscopus Tholetanus, Hispaniarum primas ac cancellarius major regni Castelle necnon magnificus et potens vir dominus Martinus Johannis de Barvuda, magister milicie de Alcantara ac nobilis et potens vir Didacus Furtadi de Mendoza, dominus de la Vega, in loco infrascripto, proposuit prefatus dominus archiepiscopus, sua spontanea ac mera voluntate, in presencia dominorum testiumque suprascriptorum, quod cum olim inter serenissimum ac illustrissimum principem dominum regem Francie et recolende memorie dominum Henricum regem Castelle et Legionis rebus humanis exemptum, certe confederaciones, lige, pactiones, convenciones fuerunt inhite, convente et concordate et per eciam felicis recordacionis dominum Johannem dicti Henrici filium, jam vita functum, dicte lige, confederaciones, pactiones et convenciones inter prelibatos reges eciam, ut premittitur, fuerunt

confirmate et corroborate; et demum per illustrissimum principem et dominum dominum Henricum dicti domini Johannis filium, modernum regem Castelle et Legionis, lige, pactiones, confederaciones et convenciones prescripte fuerunt et sunt prout supra confirmate et eciam corroborate, prout et quemadmodum in instrumentis seu litteris hinc inde pro utraque parte confectis et ordinatis lacius dicitur contineri, prefati domini dux, archiepiscopus, magister Alcantare et Didacus Furtadi dictas ligas, pactiones, convenciones, confederaciones eo modo quo per dictum dominum Henricum regem modernum Castelle inhite, convente, confederate fuerunt quovismodo ac per quascunque personas, promiserunt et juraverunt, et tenore hujus publici instrumenti promittunt et jurant servare, custodire, tenere, nec ullo unquam tempore contra dictas ligas, pactiones, convenciones, confederaciones per se vel per alium seu per interpositam personam venient nec facient nec contra ea seu earum aliqua venire volentibus dabunt auxilium, consilium aut favorem, quinyimo totis suis conatibus dictas ligas, pactiones, confederaciones et convenciones servabunt, tenebunt et custodient in futurum inviolabiliter et bona fide. De quibus omnibus et singulis suprascriptis, prefati domini dux, archiepiscopus, magister Alcantare et Didacus Furtadi voluerunt et michi notario publico infra-scripto preceperunt et me eciam requisiverunt fieri unum vel plura publicum seu publica instrumentum vel instrumenta.

Acta fuerunt hec et dicta in ortis de Simantes (?), Palentine diocesis, ubi pro tunc dicti domini dux, archiepiscopus et magister Alcantare et Didacus Furtadi cum suis exercitibus ac gencium armigerarum strepitu in multitudine copiosa degebant, sub anno, indictione, die, mense et pontificatu predictis, presentibus quibus supra. Et ad majorem firmitatem premissorum, prelibati domini dux, archiepiscopus et magister Alcantare ac Didacus Furtado presenti instrumento, cum suorum propriorum nominum subscriptione, sigilla sua duxerunt apponenda.

(Signatures autographes:)

YO EL DUQUE S. PETRUS ARCHIEPISCOPUS S. TOLETANUS.
MARTIN YAÑEZ DE BARBUDO. DIEGO S. FURTADO.

(Signum notarii).

Et ego Gerardus Rebolli, clericus Lemovicensis diocesis, apostolica et imperiali auctoritatibus notarius, premissis omnibus et singulis, dum ut sic premittitur dicerentur, una cum dominis suprascriptis,

presens personaliter interfui, hicque me, una cum ipsorum dominorum predictorum sigillorum appensione, signo quo in talibus utor subscripsi et signavi, rogatus et requisitus, in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

(Quatre sceaux sur double queue de parchemin: celui de l'archevêque de Tolède et celui de Diego Furtado de Mendoza manque.)

Archives Nat., J 603, n° 68.

43

L'évêque de Zamora et Ruy Bernard déclarent avoir reçu la lettre du roi de France approuvant les trêves conclues entre la Castille et le Portugal.

Paris, 7 mai 1392.

Alfonsus Dei gratia episcopus Zamorensis et Rodricus Bernardi, auditor audiencie, ambaxiatores et procuratores illustrissimi principis et domini nostri domini Henrici Dei gratia Castelle et Legionis regis ad infrascripta specialiter constituti, universis presentes litteras inspecturis, salutem. Cum serenissimus princeps et dominus dominus Karolus Dei gratia rex Francorum, ad nostram petitionem seu requisicionem sibi pro parte dicti domini nostri Henrici regis per nos suos procuratores predictos factas, certas treugas inter clare memorie dominum nostrum dominum Johannem quondam Castelle, Legionis et Portugalie regem et adversarium suum Portugalie factas et initas ratificaverit et confirmaverit, suas super hoc confirmationis litteras suo sigillo roboratas generose concedendo nobisque dictas confirmationis litteras tradiderit dicto Portugalie adversario juxta treugarum tenorem defferendas et tradendas: notum facimus quod nos prefato domino regi Francie, virtute dicte nostre procuracionis pro et nomine dicti domini nostri regis Castelle et Legionis et nostro singulari nomine, promissimus prefato domino regi Francie et juravimus promittimusque et juramus per presentes ad sancta Dei Evangelia corporaliter per nos tacta, quod dicte sue confirmationis littere non traderentur nec tradi paciemur adversario Portugalie predicto nec ad manus suas et in ejus potestate devenire, donec primitus et antea dictus adversarius Portugalie